



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

CALVI PIETRO, *Congratulatio in augustissimi, et felicissimam, illustrissimi, et reverendissimi d.d. Caroli Madrutii episcopi, et principis Tridentini; nec non S.R.E. cardinalis amplissimi, inaugurationem. Cum sacrosancta purpuratorum dignitate insignitus esset*, Trento, Simone Alberti, 1604.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op d 46

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/81>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

Quac. I. d. 729

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

| |
|------|
| I |
| I-Op |
| d |
| 46 |

| |
|----------|
| K1115167 |
| D1115158 |

6

CONGRATVLATIO
IN AVGV-
STISSIMAM, ET
FELICISSIMAM
ILLVSTRISSIMI, ET RE-
VERENDISSIMID. D. CARO-
LI MADRVII EPISCOPI, ET
Principis Tridentini; nec non S. R. E. Car-
dinalis Amplissimi, inaugurationem .
CVM SACROSANCTA PVRPVRATORVM
dignitate insignitus esset .
PER PETRV M CALVVM TRIDEN-
*tinum totius nobiliss. Ciuitatis nomine humil-
limè presentata .*





Tridenti Per Simonem Alberti . Anno M. D C IV.

CONGRATULATIO
IN AVGV-
STISSIMAM ET
FELICISSIMAM
ILLVSTRISSIMAE RE-
VERENDISSIMAE D. CARO-
LINA AVGVSTISSIMAE ET
BENEDICTIONIS S. R. E. C. G.
CVM SACROSANCTA PATERNA TORVM
PERPETVAM CETERA TIBI
SACROSANCTA PATERNA TORVM
SACROSANCTA PATERNA TORVM



IN AVGVSTISSIMAM ET FELICISSIMAM



AD MVSAM.

CENSVRAM poteras meritò mea
MVS A vereri
Quæ rudis ad tantum niteris ire VI-
RVM

Si non PASTORIS bonitas, &
PRAESVLIS alba
Simplicitas, veniæ diceret esse locum.

Ergò terfa licet non sis, nec digna LEGENTIS
Auribus, aut tanti cognitione VIRI.

Perge metu posito firmo vestigia gressu
Fige, supercilium PASTOR habere nequit.
Qui non tam quærit veneres, & in arte lepores,
Quam quò sint animo Carmina facta sibi.

DEDICATORIVM AD CARD:

Te furare rogo curis gregis optime PASTOR,
Et facili versus excute fronte meos.
Nunc vrbis Regimen mediam requiescat ad horam,
Et mea continuum pagina laxet opus.
Ipse solet Minos, etiam rigidissimus æqui,
Arbiter è medio surgere sæpe throno.

Atq; citatorum causas differre reorum,
Vt redeat parua, mens ita tota, mora :

AD CARDINALEM.

Æquoris indomitas vires memorare parantem,
Horrisoni terret vasta vorago sali.
Sic me **CARDO** tuos cupientem scribere gestus,
Arcet ab incepto turbida vena meo.
Immensum sine fine patet, sine legibus æquor,
Et posita est factis meta nec vlla tuis;
Æstuat unda furens turbantibus æquora ventis,
T' V' quoque diuino lumine flante tumes;
Alluit, & spumans resonantia littora fluctus,
Flamine sacrato pectora nostra rigas;
Tu Vati aspira placidus, sanctæq; canenti
Adsis, quò valeat carmina multa dare.

INVOCATIO.

Alme parens nitidi paret cui regia Cœli,
Poplite quem nixo turba beata colit.
Aligeras mandas gyro qui uoluere mentes,
Aspira, dextra non remorante tua.
Tu quoq; nata **DEO** quam stellæ mille coronant,
Adsis, auspicijs **VIRGO** sacrata meis.
Vos superi glomerate preces, fac Diue **VIGILI**
In patulas aures mollia verba cadant.

IN DIEM NVNCIVM CONSE-
crationis .

Salve lux celebranda Ciuitati,
Lucis nam titulo vocaris aptè,
Splendores meritos, tibiq; summas
Laudes, ore meo canam frequenti.
Debetur tibi summa laus, decusq;
Tantæ lætitię capax reperta;
Tu splendes veluti rosæ micantes,
In campo vario colore pictæ;
Te laudum titulis in astra clara,
Quo possum studio feram libenter :

CONGRATVLATIO.

Tristibus extiteras Elegeia commoda rebus;
Olim, liuentes dilaniata genas;
Vestis erat tibi pulla, comæ sine lege fluebant,
Et tua vox homini nil nisi triste tulit.
Et color, & vultus, cum rusticitate pudentes,
Et Furijs quales vix reor esse pedes;
Fædus in ore vigor, ceruix, humerusq; manusq;
Atq; cyclopæa pectora facta manu.
In lacrymas succus macilenti corporis ibat,
Et de tot membris vix erat vmbra tuis;
Nunc verò per me veteri nudata figura,
Veste sub Attalica disce mouere pedes.
Et benè compositis ornatior ire maniplis

In.

Incipe, purpureis aspicienda genis,
Diuitior forma quales incedere Syluis,
Naiades, & Triades quisq; solere videt,
Et madidos myrrha fulgens crinale capillos,
Ornet, & effundas gaudia læta sinu.
Talis n. cultus personæ conuenit isti,
Quam, modò me partes distribuente, geris.
P R I N C I P I S Augustas memorabis ordine laudes.
Ortū, Natalem, Stemma, Trophæa, Genus.
Illi vota ferēs illum venerabere ritu
Quo potes, & fas est humilitate graui.
Illi corde rosas, non qualibus Hybla superbit,
Aut propè Trinacrios verna roseta specus.
Sed dabis enatos riguo de pectore flores,
Quos mens candoris plena parauit ei.
Et benè composita facie, pudibunda, modestis
Luminibus, D O M I N O talia fare meo.
Dignus eras cunctis, quæ mundus, & æstimat orbis,
Quæq; in Erithræo littore concha rubet
Gemmarum quidquid fœlicibus oritur vndis,
Sed tibi mundanæ despiciuntur opes
Ergò quid offerret qui nil habet indigus Irus
Præter A V E, præter grammata pauca, V A L E ?
Ista meo veniunt fata germina largiter horto,
Nam pia vota ferax obtinuere solum.
Hinc tibi constitui durabile texere fertum,
Quod rabies Hyemis lædere nulla queat,
Quod non inijcitur capiti, nec obumbrat in æstu
Tempora, nec visum sollicitare solet.
Sed patulis bibitur velut sonus auribus, indè

Se mentis caueis illatebrare solet.
Nempè Sybillinis tua lux eat auctior annis,
Et Piliij superet tempora cana Senis.
Nullis ægra malis veniat, non sentiat vlla
Damna, nec Hostiles fæta timore minas.
Nesciat infanos populo titubante tumultus,
Nesciat arma, faces, classica, bella, neces.
Iurgia, clamores, rixæ, dolor, ira, simultas.
Mæror, cura, lues in caput hostis cant.
Eoo siquid minitetur in orbe Tomita,
Ense suo nobis incuciente metum
Id Bizantinis hac luce deiscat in aruis,
Et bibat Euxinas terror & horror aquas.
Sit sine nube, cedant venti; tua flamina ponas
Eure, nec humentes excute Core comas.
Te premat Hippotades Aquilo, te claudat in vtre,
Nec sinat hanc flabris te violare diem.
Non rapiant Cælum pluiuæ, non grando, vel imber
Nec nebula, veluti nube, tegatur humus.
Nix vbi nata fiet, vel si cadat indè, figuram
Perdat, & incipiat lac, mel, & esse merum.
Ipse per oppositos sol lampade clarior axes,
Dispenset solito maius ab ore iubar.
Et noua circumeant auri redimicula solis
Cornipedes, currum nil nisi velet onyx.
Vt nec tristitiæ, nec parua sit ansa doloris.
Sed petat infernas omnis amaror aquas.
Si micet insolitis vacuus splendoribus æther,
Et Cælum stupeant inferiora nouum.
Omnes lætitiæ, missis in Tartara curis.

Cum

Cum ratione tamen tunc vaga fræna dabunt.
Tunc non præteritum, nec quod ceruicibus instat,
Conficiet morfu pectora læta suo.
Sed tantum præsens animum dabit hora, nec villo
Tempore pensabunt adueniente Cruce.
Tunc caput impediunt myrtho, tunc aurea sument
Pocula, fetinis nobiliora cadis.
Hos inter veterum PRINCEPS quia degere ritus,
Te prohibet voti regula sancta tui.
Attamen astrictam curis expandere frontem,
Liberiore modo lege sinente potes.
Sic tibi continuè reuoluto sæpius Anno,
Hoc veniet vultu vel meliore dies.
Sic te non cruciet languor, nec fonticus vrat
Morbus, Pontificum gloria, summa salus.
Sic non deficient vires veniente senectæ,
Sed maneat robur, qui modò floret, idem.
Sic quæ dispensant mortalia fata sorores,
Adjicient vitæ Stamina longa tuæ.
Sic vbi præsentis fuerit tibi fabula vitæ
Acta, triumphator nobilis astra petes.
Quo te sera feret gravidum virtutibus hora,
Ne nos destituat PRINCIPIS vnus amor.
Nam licet æthereos hodie merearis honores,
Et te conciuem turba beata velit.
Tu tamen auxilium miseris quasi natus, ijsdem
Vt prosis, multa luce superstes eris.
Donec ab ærumnis te concurrente leuati,
Vna cælicolis annumeremur auis.
Quo (repeto) te sera feret sententia mortis,

Ne

Ne miser ablato PRINCIPLE solus eam .
Interea CARDO, PRAESVL, memor esto dici,
Perge, nec ad solitum tam citò munus abi.
Vno quid confert posuisse negotia festo,
Quæ soleant totos sæpè vorare dies?

IN VITAM CARDINALIS.

Vrbs est diues opum sublimibus alta columnis,
Morum formatrix, antiquitatis honos.
AVOSTAM dixere patres, quæ fortibus auxis,
Gentibus, ingenio, nobilitate valet.
Quam circum circa preciosè mænia cingunt,
Nulli castrorum molle secunda loco.
Ampla situ, populosa viris, decorata superquæ,
Aris magnificis, montibus, ac domibus.
Erectum quorum culmen se tollit in astra,
Copia quam rerum diuitat atquæ beat.
Magna potentatu. vastumquæ conspicit orbem,
Gloria, laus, & honor, MADRVCIDVMQ; decor.
Quæ tantum reliquas inter laudabitur urbes,
Quantum alios florès inter, adorna rosa.
Oritur hic toti lumen venerabile mundo
CAROLVS, excelsi gloria summa poli.
Cum nox æthereum nigris emensa quadrigis,
Mundum cæruleo lauerat amne rotas.
Obscuras inter nox splendidissima noctes,
Viuet inextinta luce perennis honor.
Lux cui vitales cum primò traderet auras,
Contulit accensas in sua corda faces.

B Ille

Ille Deo ante diem plenus, iuuenilibus annis,
Mortales spreuit non tumefactus, opes.
Et veteri accensus studiorum laude, Sophorum
Vt primò cæpit tecta subire pede.
Affuit æternus rerum fabricator Iesus,
Cælestemq; illi contulit almus opem.
Doctè in Grammatica teneris inbutus ab annis,
Tempfit Aristarchos Barbariemq; feram.
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus,
Quem Phœbus docuit flectere mille modis.
Et potuit magni linguam Ciceronis ad unguem
Fingere, & eloquij per loca pulchra vehi.
Quidquid Democritus risit, dixitq; tacendo
Pythagoras, vno pectore cuncta fluunt,
Deniq; cunctarum studuit cognoscere rerum
Vires, & sacras ætheris hausit opes.
Iudicium creuit rectum discernere iniquo,
Et mentem tollit sydera celsa super.
Auribus, ori, oculis, manibus tum naribus, ipse
Opposuit toties fræna sacrata suis.
Vt Regina Cypri vestigia mollia figat,
Concedit dorsum femina quæq; suum.
Mollicies has illecebras excogitat amens,
Quas CAROLVS semper numine dante fugit.
Vitauit solito semper de more superbos,
Et puta quos tumidos gloria vana facit.
Ipse parens miseris, inopum spes, anchora, portus,
Solamen, requies, fidus asyllus adest.
Quidquid opis potuit miseris partitur egenis,
Sordebant etenim cuncta caduca sibi.

Vt

Vt capiat volucres auceps, imitatus vbiq;
Illarum voces, dulciter ore canit.
Vt posset iuuenes magno de sanguine natos,
Ducere vel summos in sua vota viros.
CAROLVS extremis olim celebrandus in oris,
Cunctorum genium seruat, & ingenium.
Non tumuit ventis Fortuna flante secundis,
Ipseque non doluit, si mala passus erat.
Sic Vultur putridum spectat quandoq; cadauer,
De sæuis membris olfacit ipse nihil.
Vbertas, nimio luxu sata læta per agros,
Prosternit ramos, pondera multa grauant.
Sic quoq; peruertit mentem immoderata voluptas,
CAROLVS hanc reprobat, sed moderata placet.
Concordat rursus contraria corda suavi
Eloquio, pacem fert animisq; bonam.
Et puram puro seruauit corpore mentem,
Depressit comptas luxuriæq; comas.
Necquæ multa hominum exercent præcordia pestes,
Inuidiæ, rancor, turpia dicta, doli.
Tantus amor recti, iustiquæ immensa cupido,
Tanta erat, vt totum cæperit vna Polum.
Non hunc vesanæ valuit uis mentis acuta,
Vertere, non mundus, non Phlegetontis aquæ.
Asyrius Phænix quingentos computat annos,
Deinde nouas canas post sua busta parat.
Laudibus innumeris semper licet auxerit orbem,
Mille fuit credas aucrior vna dies.
Hunc dum mortalis compellit gloria vitæ,
Vt celerem in mortem pernicienq; ruat.

Euocat è mundo cælestis gloria regni,
Et domui vitam mancipat ille DEI.
Ordinibusq; Sacris sacras decoratur ad aras,
Ut debellata præmia carne ferat.
Oritur indè nouus feruor pietatis ubiq;
Fitq; nouus populi cursus in æde pia.
Ut tantum digno festum celebretur honore,
Nam superis CAROLVS Mystica sacra facit:
Pangite Pegasides dulcissima carmina Nymphæ,
Tangite blandisonam, cum grauitate chelim,
Dicite Io, bis io, ter io dicite MVSAE,
Organa læta, lyræ, & cantica blanda sonent.
Certent, et dulci resonantia tympana pulsu,
Bifonius Vates dulcia plectra feret.
Vos simul ò iuuenes animis, cantuq; fauete,
Primitias tanti concelebrate VIRI.
Fundite magnanimo candentia gaudia vultu,
Gaudia quæ valeant hunc celebrare diem.
Hæc est illa dies niueis signanda lapillis,
Atq; Sybillinis tergeminanda notis.
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Nostræ in subsidium gentis, & Urbis adest.
Moles, structuræ, turres, ingentia faxa,
Pyramidum celsus prodigialis obex.
Omnia dispereunt, verum laus ampla virorum
Fine caret, memori semper honore comat.
In Chaos antiquum quamuis se machina mundi
Conferet, illorum gloria summa viret.
CAROLVS hoc nouit spernens mundana fimeta,
Liber vt æthereas possit adire domos.

Pro-

Prodigus aurigrauis thesauri, prodig us æris,
A Eternas paruo munere quærit ope s.
Omnia cœlesti Domino radiantis Oly mpi
Tradidit, vt peteret regna serena poli.
Et quid centuplicis Xps pro munere reddit?
A B B A T E M Domui destinat esse suæ.
Magna canunt superi, letantur cuncta Tridenti,
Inter participes hunc numerando D E O S.
Egisti vitam superum frondente corona,
Dignam terrigenis, Cœlicolisq; parem.
O' dilecte D E O, ò magni P R A E S V L I S ausus,
Ne metuas, maius te manet alme decus;
Perpetuos spectare licet tibi frondis honores,
Non Pompeianæ te posuere manus.
Sed pater Omnipotens rerum cui summa potestas,
Credidit hanc messem CAROLE MAGNE tibi.
Diuinis postquam populum docuisset inertem
Moribus, exemplis, ac pietate graui;
Eligitur P R A E S V L cunctis gaudentibus vnà,
Gaudia diffundunt, lætitiãq; colunt.
Hinc populo ingenti plausu comitante Tridenti,
P A S T O R I S cinxit sacra Thiara caput.
Fulsit vt in celfo virtus pulcherrima monte,
Et cepit nostris imperitare viris
Atq; lucerna solet radiare per atria uasta,
Cum retulit noctem Cynthia flammiferam.
Sic quoq; P A S T O R I S iubar immortale per æuũ,
Luxit, quem virtus splendida ad astra vehet,
Vir magnus fama, nulli pietate secundus,
Pontificumq; decus, gloria summa salus,

Sol-

Soluite corde metum mæstas secludite curas,
Vos olim iuvenes hæc meminisse iuuat.
Quotquot Castalio bibitis de fonte liquores,
Viuat inextinta luce perennis honos.
P R A E S V L enim, fuerat Musarum magna sororum
Gloria, diuinis associanda plagis.
Florida conspersit iuuenum qui prata liquore,
Vbertate graui, fertilitate bonâ
Huius PONTIFICIS nunquam puto tanta labescet
Gloria, sed fiet maior, & astra petet.
Qualis in elato plantus solet esse parentis
Funere, quando domus tota dolore fremit,
Pectora tunduntur manibus sit ad æthera clamor,
Pendent incomptæ colla per vda comæ,
Ipsa Domus lachrymis veluti nauis innatat vndis,
Et sunt tristitiæ squallida quæquæ situ.
Talis erat facies natum quos inclyta M A T E R.
Fæcundo peperit corde, pioq; sinu.
Quando LVDOVICVS superas remeavit ad oras,
Et nos deseruit qui vice Patris erat.
Tunc singultantis fuerat cognoscere cordis
Murmur, & obstructum cernere vocis iter.
Tunc querulos inter gemitus inhiantia fletum
Lumina, fecit aquæ nescia pænè dolor
Deniq; funereo lugebant omnia ritu,
Et plenus luctus angulus omnis erat.
Sed non ista diu facies ita turbida mansit,
Non stetit in tanto pressa dolore diu.
P R A E S V L enim subito cedente priore creatus,
Nunc io io sacri C A R D I N I S omen habes.

Iam

Iam uice P A T R I S opem natis miserate tulisti
Non passus miseram pignora ferre famem,
Nunc iterum verso ciues in gaudia luctu,
Omnem tristitię deposuere notam.
Nunc iterum tanti; nunc C A R D I N I S ora tueri,
Et dare letitię plurima signa valent.
Spargite io flores ter, io ter dicite M V S A E,
Pro Patre defuncto, nam P A T E R alter adest,
Nunc iterum positis celebrabunt gaudia curis,
Nunc per virtutes promptior ardor erit.
Nunc meliore datas seruabunt ordine leges,
P A S T O R E M summum quodq; imitentur habent.
Sicut enim P A S T O R pecoris quem cura fatigat,
Illac precedit qua lubet ire pecus.
Sic cum ꝑciperes legum seruare statuta,
Tu sine seruabas desitione prius.
Quo simul aduerso cuncti velut agmine facto,
Cæperunt alacri pectore summa sequi.
Cæperunt virtutis iter calcare terentes,
Prata voluptatum, despicienda pede.
Cæperunt penetrare rubos, & Hiulca viarum
Antra, nec ob rupes sustinuere gradum.
Donec præcipitis fastigia montis haberent,
Et per planiciem planius esset iter.

OPTATIO FELICISSIMAE, ET
Prosperimæ gubernationis.

Magna Tridentinæ spes, & fiducia terræ,
S A L V E certa gregis lux, & amator A V E.

En

En tibi difficiles actu traduntur habenæ,
Et tibi nostrorum cura gerenda magis.
Tu Palinurus eris nobis vbi pontus, & æther,
Vnanimes in nos confremuere simul.
Nam mouet infestos styx atra libidinis Euros,
Et studet allisæ rumpere vela ratis.
Iam latus oppugnat Cymbæ popularibus auris,
Vt sic fracta bibat perditionis aquas.
Iam muris in medio, patrijs è sinibus actos,
Et palabundos Dæmonis ira quatit.
Iam mouet horrendos, ventosa superbia flatus.
Et mortem nobis infiliendo parat.
Hic Palinurus eris fragilem ne desere Pinum,
In pelagi medijs ò Palinure vadis.
Nos licet infestet tumidus cum Dæmone mundus,
Et moueat stygias in tua vela manus.
Non tamen incurret scopulos, & in æquore remis
Confractis nabit te moderante ratis.
Sydus enim Lædæ nautis peramabile signum
VIGILIVS, credas auxiliator erit.
Ille per vndosum tam multa pericula pontum,
Qua caueas dicet sedulitate tibi.
Consilij erit ille tibi sæpissimè præsens,
Nec monitis eius destituendus eris.
Ille maris tergum, crispantia flumina franget,
Aut stygios iterum coget inire lacus.
Ille procellosa titubantem nube phasellum,
In portum statuet quò nequit ire furor.
Fidenti saltem clauum rege fortiter ausu,
Et tibi commissos per maris alta vehe.

Sic

Sic melior te fors sic cælica fata manebunt,
Quam vitæ fuerint, ò Palinure tuq̃?
Ille tot exhaustis animo fidente periclis,
Promissæ nequijte visere tecta plagæ.
Ille tot annorum spatij non vlla petiuit
Naula, sed in medijs præcipitatur aquis.
Tu verò, Patriam nobis comitantibus Urbem,
PASTOR vt antè suas, ingredieris oues.
Illic accipies triplicato scœnore nulum,
Quod tibi non potuit nostra crumena dare.
Illic mille modis sine gaudia sine morantur,
Et requies nullis interitura malis.
Interea remis cursum velocibus vige,
Et nè vectores nausea tangat age.
Integra protenso religentur carbasa vento,
Nec tepidis distet credere vela nothis.
Instrue transtra suis, vt propugnacula telis,
Ne velut expositos monstra marina vorent.
Si veniat duplici Balæna superbia cornu,
Et fragilem cupiat uertere posse ratem;
Tunc iaciat validis lapidem balista lacertis,
Aut ferias alia qua potes arte malum.
Si ruat oppositis in nos discordia branchis,
Sint in dispositis arma parata locis.
Sic portum saluis dabitur contingere, cuius
In desiderio mens tua lassâ iacet.
Vnde tibi meritas si grates ferre nequimus,
Quas tamen offerimus voce libenter habe.
Ecquis enim tantis det respondentia factis
Præmia? quis mentis munera digna feret?

C

Dux

Dux aliquandò viæ si quò sit forsan eundem
Dixerit erranti , plurima dona capit ;
Et tu dux dubijs ad cælica regna fuisti ,
Euigilans nequis sub stygis iret aquas .
Certè quò reliquis magis ardua semita Cæli,
Tantò mercedis plus , & honoris habes .
Non in præfenti vita, sed in axe relictum ,
Quod lux cum multo fœnore summa dabit .
Quò nos VIGILIVS natorum captus amore
Transferat , & placido cum grege PASTOR eat .

MVNERA TOTIVS CIVITATIS
Nomine oblata .

Ros maris aspectu non est iucundus, at ex se,
Iactat odoriferas in caua naris opes .
Sic etiam quandòq; licet sis tristior ora,
Non tamen humanus desinis esse reis .
Qualis, in aspectu; sed quis sis, constat odore;
Quem tua mens mille spirat vbiq; modis .
Alter falciculi flos in conuallibus ortus
Albet, & in terram vergit odore satur .
Ast tu quantumuis virtutum plenus odore,
Omnia dulcoris nobilitate beas .
Tu tamen in Cœlum vergis, dum maxima mentis
Gloria, non patitur ferre per ima caput .
Et mentis candore places, vti Lilia vallis,
Quæ nunquam vultu multicolore nitent :
Sunt in humo Violæ iuxta tremebunda dumeta,
Nec caput ad Cæli tollere summa queunt .

Sem-

Semper humi repunt, nunquam sublimè petentes,
Maiores alijs sunt in odore tamen.
Tu perrepis humum, seu tantam quandò necessum,
Parulus, & magnus carpere possit opem.
Est Rosa floratas inter res inclyta pompas,
At nimis hirsutis floret operta rubis.
Vnde manu salua, vix vlli contigit vnquam
Hic odor, interdum sanguine debet emi.
Sic etiam bonitatis odor, quem fundit abundè,
Mens facta, mandati vepre sepultus olet.
In quod si digitos incautus adegero tenfos,
Incaustum nobis ille petetur odor.
Sin verò blandè legum dimouero vepres,
Aut custodiero tradita iussa, fruam.
Ver vbi viuificat pulsis aquilonibus orbem,
Et Zephirus bruma deficiente redit.
Primus humo tollit flos ille cacumen in altum,
Vndè suum meritò nomen & omen habet
PRINCEPS hybernum cum frigus abiret, & alis
Mitior attractis, tunderet Eurus aquas.
In medio veris, cæpisti nascier albus
Flos, bene si fuerit, sat citò, vel citius.
Quippè prius fuerat frigus, se Primula veris
(Te puto) cum trusit forte cacumen humo;
Æstatis spes magna tuis est orta, nec absq;
Re, calor egreditur, quem docet ista dies.
Nec calor æstatis tantum, sed & ardor amoris,
PRINCIPIS in natos feruida cura suos.
Sicq; Tridentini celeres inopina tulerunt
Gaudia, brumali diffugiente die.

Vnde mihi veniat lapforum copia florum
Miraris ? calido forsam ab orbe tuli?
An dedit æternum florens Menphitidos hortus,
Sol vbi perpetuus, nec tenebrosa dies ?
Non ita sed virides animi penetrauimus hortos,
Hybernum dat vbi solstitiale rosas.
Inde tuli carptim nec plures ferre licebat,
Ingenij calathus nam mihi paruus erat.

AD TRIDENTINOS

Subterras hyemem postquam sol aureus egit
Infestam, Cælumq; estiuâ luce refulsit.
Mox apibus viridi crispatur gramine tellus,
Ipsæq; continuos saltus, syluasq; pererrant,
Purpureosq; metunt flores, & flumina libant
Summa leues, hinc nescio qua dulcedine lætæ,
Progeniem, nidosq; fouent, hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Venturæq; hyemis nemores æstate laborem
Experientur, & in tutum quæ sita reponunt.
Vota Tridentino cuncti deserte PATRONO
Cum sit illa dies totum celebranda per orbem,
Qua titulo CAROLVS decoratur CARDINIS
Ne velut AEsopi poscant alimenta cicadæ, (amplo.
Quæ non florifero cumulantes germina Vere,
Inueniunt nullas brumali tempore messes.

AD

AD ECCLESIAM TRIDENTINAM.

Fasciculi, violæ, narcissus, amarachus, herbæ,
Ruris opes, statuere locum quæ celsior ibat,
Niliachus virtute plagas qui vicit in armis:
Sic totum redolebat iter quasi florida tempe,
Non lapides, non pulvis erat, non saxa, nec vlla
Impedimenta vig, tantum de floribus hausit.
Ut non in plateis ast in conuallibus Idæ,
Sunt ubi vernaes nullo non tempore flores,
Esse videretur, Floraq; beatior ipsa.
Post illum Vates ibant, & Apollinis indè
Turba sequebatur, Cythara sidibusq; sonoris,
Qui regis laudes, & facta potentia, pleno
Plallebant nisu, post hos phaleratus equorum
Ductus erat, radios auro velante diei.
Ipse sequebatur tandem Rex, milite multo
Stripatus, tardo subiens pallatia gressu.
O quid incipies Ecclesia magna Tridenti?
Quos non, & quantos titulos deferre studebis
Illi, quem magnus mundi Fabricator, & Autor
Constituit Dominum, regimenq; , tutamen in Vrbe.
Qui non Bactra, Scytas, Orientis & Indica regna,
Non elephantorum cumulos, vel acinacis ictus,
Contudit, & magna bellorum molle peremit.
Sed stygis, & Erebi venientes gurgite pestes,
Edomuit, cohibens superatos carcere dirè.
Qui non Pellæa genitus perhibetur in Vrbe,
Sed diuis diuis fuerat genitoribus ortus,

Huic

Huic inquam quę non statues monumenta ? colendi
Quis satis ardor erit? Quis dignus (amabo) paratus
Inuenietur? erunt quęcunq; paraueris umbrę.
Qua tamen arte uales studeas sacrata placere,
Ede sonos, gaude, canta, lætare, triumphā,
Exulta, refona, fulge, meditare, corusca;
Ora magnifica, plaude, & commenda, merere,
Iubila, & exorna, gesti, modularē, refulge,
Pfallito, splendefce, & lauda, virefce, faueto.

PARAENESIS D. VIGILII AD
Tridentinos.

Filioli faluete placet mihi ueftra voluntas,
Quod fit tam dictis obfequiofa meis.
Et placet accenfis in mentibus ardor amoris
Quo velut igne focus mutua corda calent.
Pergite dilecti quo uos mea femita ducit,
Et quo poft Chriftum uos PATRIS urget amor,
Calce meis alacres infiftere pergite plantis,
Ite nec inceptum deferat ullus iter.
Ite nec idcirco mœrore iacebitis iceti,
Sed lætos alijs uos magis eſſe decet.
Luce hac præcipuè, ſummo quę debet honore,
Et non vulgari relligione coli.
Nā CAROLO Magno Sacrū, quē flectere noſtrā
Virtutum uoluit copia magna ratem.
Huius in obfequium gratantes pergite, nunquid,
Non nouit quænam ducat in aſtra uia?
Dignus enim fuerat dudum cœleſtibus oris,

Si

Si non vestra salus detinisset eum .
Hinc qua nouistis dominum ratione colentes,
Quę facietis ei facta putate mihi .
Sicquę Tridentinę clauum moderabitur Vrbs ,
Et vos ; his nati ritę valete mei .

ALLVSIONES AD NOMINA CARD:

Primum .

Viuo , non viuo ; magno sum corpore , paruo ;
Sum rationis amans , sum ratione carens ;
Dissimilis , similis ; sum grata , ingrata ; nocere
Non possum , possum ; non loquor , atque loquor ;
Non taceo , taceo ; fortis , non fortis in armis ;
Me comedunt homines , non comedunt homines .

Secundum .

Si fæmur medium pedibus coniungis acutis,
Me fuit in toto clarius orbe nihil .
Si ventrem totum plantę sociare studebis,
Mandet quidquid habet florida terra boni .
Si partem ventris capiti connectis vtrinq̃ ,
Monstrat vt affidue gaudia læta canas .

Tertium ,

Nocte diuq̃ vado ,
Sum nouies vltra ,
Omnia fata colo ,
Sum delapsa polo ,

7
2
5
1

Si pauca resumis , & aufers .

Or-

Orbis ero Solis,
Sum matèr florum,
Nunquã me moueo, $\frac{1}{2}$ Si pauca resumis, & aufers.

Quartum.

Si medio ventri capitis coniungis acumen,
Me primam Cælis condidit ipse Deus.
Si plantas verfas ceruici nectis acerbæ,
Me titubante cadis, me redeunte redis.
Si potes vnanimi plantam fociare columnæ,
Magna canunt de me carmina docta virum.

Quintum.

Non morior, morior; tundor, non tundor; aduror,
Non vror; vario, non variare queò.
Non strideo, strideo; porto, non porto; salutis
Expers sum, non sum; non fleo, fortè fleo.
Arte laboratus sum, non sum; durus, & asper,
Sum, non sum, tantos OEdipe solue nodos.

Sextum.

Stemmata magna gero, magno sum sanguine nata,
Me vehet ad summum gloria magna polum.
Cæruleos memet campos delectat adire,
Nec longè à summis montibus esse volo.
Vexillum semper medio sub pectore gesto,
Super humerum, & plantas; Armiger ipse Iouis.

AS-

ASSIMILATUR VITAE D. CAROLI
Vita Cardinalis.

Vt premeret certo domini uestigia gressu,
CAROLVS arsuras sponte reliquit opes.
Tu decus, vt domini sequeris dogmata tuta,
Liquisti patrios orbe stupente lares.
Ille pudicitiae custos, & summus amator,
Quem tulit in claustrum virginittis amor.
Te mundi insanas iussit contemnere fraudes
PRINCEPS, vndè Deo plus adamatus eris.
Ille sacras literas scrutatus, & intima pressit,
Ter FORTVNATO munere corda Dei.
Tu non in scriptis Christum modò quæris, at ipsum
Quauis luce tuo corde fouere soles.
Ergo sancte tua (Rex CAROLE) dixero pace,
Nomine sit PRINCEPS par, & amore tibi.

CVR HABEAT AQVILAM IN INSIGNIBVS.

Gentis Iulæ dic cur insignia gestas?
Signifer Aeneadum tuni? tacet, ergò quid es?
Quid Iouis Armigero tecum rapiendus in astra
Forfan, vt ambrosias stes puer ante dapes?
Hoc puto. sicut. n. nitidum Iouis armiger ales,
Opposita solem fronte videre potest.
Sic tu scrutatus Triados mysteria lucem
Vidisti, cuius fulgura rarus habet.
Sicut & æthereas Aquila volitante per auras,

D At-

Attonitæ volucres stant, nec alauda canit.
Clandestina Dei sic tu mysteria nobis
Propones, alij cum reticere solent.
Incurtant Aquilæ rostro fodiente dracones.
Et ciet infestas lis inimica minas.
Tu Rex, in stygium geris arma cruenta Draconem,
Semper in hostilem currere prone manum.
Nullo putiscunt Aquilarum tempore pennæ
Sed dentem superant tempus, & anne tuum.
Sic tua penna mori, qua te super æthera libras
Nescit, vt est Xpi summus, & vnus amor.
Remigio superant Aquilæ genus omne volucrum,
Et se surripiunt ne videantur humi,
Ex mundi sic tu sacrum caput eximis estu,
Et te præcipiti tollis in alta gradu.
Fulmina quæ feriant homines excussa nocentes,
Dicitur illa Ioui suppeditare suo.
Hic non es similis nam tu dare vota tonanti,
Pro miseris, animo damna cauente, soles.

AD CARDINALEM.

Miraris celebres cur mihi carmina,
Musæ suppeditent, ac Epygrammata?
Fortassis quia nil, nullaq; pagina
Dignas M A D R V C I O dicere PRINCIPI
Laudes sufficit, aut tollere CARDINEM?
Hoc verum est, igitur pergere volumus
Decantare metro grandia nomina
P A S T O R I S, meritis lux erit vlla par.

Heros

Heros AEmatius magnus in aspero,
Bello, non proprio singula lumine
Vidisset pedibus subdita, maximi
Mundi regna suis, si benè non foret,
Annis à teneris laudibus inclytis
Sublatus, dederat doctifonus sophus ..
Quas illi, pia virtus magis excrecit.

IN LAUDEM CARDINALIS.
Saphicum carmen.

Urbis istius decus atq; fama,
Qui suos visens hodie Tridenti,
Luce splendenti, sola sospitatur,
Atq; tuetur.

Strage pollutas violare terras,
PASTOR in nullo precio reponit,
AEstimat pluris temerare mentem
Crimine nolle.

Impeti Ciues varijs procellis
Dæmonum cernens, vitijq; castra
Hinc, & hinc PRAESVL videt illecebras
Arma ciere.

Quin magis talem legimus palæstram,
Robur huc nostrum referamus inquit,
Pectus accendit, flagrat hac arena ..
Victor abire.

Cæca perplexos laqueo voluptas
Nectit, incendit libiti potestas,
Aula ventosis animosa flagris.
Objicit escas.

Proterit P A S T O R rigidas cohortes,
Nifus ad Cæli generosus orbes,
Discutit quidquid remoratur altos,
Pectoris ausus.

Ad plagas totum migrat euiternas
P R I N C I P I S pectus, generisq; opumq;
Immemor, cælos oculo irretorto
Spectat, & ardet.

O Dijs rarum genus inter arma,
Nescium vinci, licet ipsa tellus
Cuncta conspiret vitijs, vtrumq;
Dissipat agmen.

Orbe victores domito libido
Vinxit Hæroas, at Sacratu hostis
Duplici victor rude dignus extat,
Atq; triumphat.

Liberum cantent iuga densa nisi,
Tuschi Alciden, Fabium Quirites;
Te canent gentes sub vtroq; cæli
Axe iacentes.

Te canent, quotquot super astra Diuos
Extulit virtus, metuetq; fama
Cæsarum fastus memorare, tantis
Victa triumphis.

ILLVSTRIS. DOMINO ALIPRANDO
Madrucio Decano.

Hunc P A T R E M cuncti simul assequuti,
Efferunt ipsum retulisse pacem,

Qua

Qua Tridentini fuerint repleti,
Vsq; sub æuum.

Ordines sacri comitantur ipsum,
Gloria magna superasse mundum
Prædicant, cunctosq; fugasse acuti

Dæmonis œstus.
Deindè depromunt ALIPRANDE lætum
Gaudium, te ornat super astra clara,
Laudibus magnis pia turba Cæli

Tempore cuncto,
Effice in nobis igitur DECANE
MAXIME, vt laudent tua facta cuncti,
Quos tibi seruat retinetq; nostra
Terra clientes.

ILLVSTRISSIMO D. FORTVNATO
Madrucio.

Gloria magna tua est, quod sis iustissimus æqui,
Quod Patriæ splendor, gloria magna tua est.
Gloria magna tua est, clarum virtutibus esse,
Quodq; salus miseris, gloria magna tua est.
Gloria magna tua est, stygios uicisse Tyrannos,
Flamine quod tumeas, gloria magna tua est.
Gloria magna tua est, quod longum duxeris æuum.
Te super astra ychet gloria magna tua.

ILLVSTRISSIMO D. RENATO

Emanueli Madrucio .

Sunt claræ syluæ , sunt clara & littora , clarum
Est pratium , in viridi gramina clara solo .
Sunt clarę Gemme , sunt Astra , & sydera clara ,
Sunt clari Flores , est quoq; clara Dies .
Clarius est syluis RENATVS Littore , Prato ,
Gramine , Gemma , Astris , Sydere , Flore , Die .
Clarius est cunctis ILLVST. EMANVEL oris ;
Clarius vt superis luceat , acta dabunt .

ILLVSTRISSIMO D. GAUDENTIO .

Madrucio .

Quantum alto viridans superatur tellus Olympo ,
Quantum Sol Pheben feruidus igne preit .
Quantum alias vincit pulcherrima Cynthia stellas ,
Quantum etiam superat Bosphorus astra nitens .
Quantum alias cantu vincit Philomela volucres ,
Quantum inter flores vernat amæna rosa .
Quantum deuincit Leo trux animalia cuncta ,
Quantum animus nostro corpore nobilior .
Tantum etiam superat magnus GAUDENTIVS omnes ,
Tantum eius , præstant stemmata stemmatibus .

ILL. D. FERDINANDO MADRUCIO .

Magna per Assyridum quondã datur agmina strages ,
Armis Aligerum præcipiente Deo ,

Ma-

Magna Philistææ Samson dispendia genti
Attulit, æthereo robore tutus homo.
Obstupuit quicumq; legit monumenta virorum,
Nam neq; mens hominum robora tanta capit.
At FERDINANDVS præclarus numine belli,
Viribus exuperat fortia quæq; suis.

ODE HORATIANA AD CARDINALEM,
Et Principem nostrum.

O' P R A E S V L axis ianua, & actibus
Præclare gestis, sydere clarior,
Amicte circum luce, per quem
Conciliat Deus ima sibi.

P A S T O R tuorum gloria, & hostium
Terror malorum, spes hominum, & salus,
Deuota pubes quem Tridenti,
Et veneratur, & laudat amplè.

Hæc tibi Caluus carmina debuit,
Quæ dona noster protulit hortulus,
Sacra malis quod liberaſti
Oratione tua Tridentum.

Qui nulla sentit numina C A R D I N I S,
Nescit potentis consilium Dei,
Lux prima Solis hinc, & partes
Aura fugit pietatis almæ.

Hæc tibi Caluus carmina debuit,
Totumq; votis se tibi dedicat,
O' tu potens, & P A S T O R huius,
Confugium columenq; gentis.

EPI.

EPILOGVS.

Multa quidē fuerant memoranda ò maxime Princeps,
 Multa ; sed inuidit quod breue tempus erat.
 Hæc tamen interea capies data mente fideli,
 Si bona, sufficient ; si mala, multa nimis ;
 Qualiacunq; sient illud mihi spondet auitus
 Candor, & hoc nimium tempore rara fides ;
 Quod sis capturus facili præsentia vultu,
 Quæ sperata mihi meta laboris erit.
 Iam neq; consensum cupio, sed deprecor iram,
 Ausus te schorijis sustinuisse meis.

F I N I S .

Errata.

Fol. 4. memorabis, adde, in. humilitate, qua pietate. velut, veluti.
 fol. 5. deiscat, dehiscat. cedât, cadât. fol. 6. qui, quod. fol. 7. an-
 tiquitatis, ac pietatis. auitis, aulis. molle, mole. atque, atque. splen-
 didissima, splendidissima. fol. 8. inbutus, imbutus. fol. 9. iutiquæ,
 iutiquæ. fol. 10. caos, caos. fol. 11. nanis, ratis, fol. 16. mille, mil-
 tis. fol. 18. forsam, forsam. iplexq; iplex. defferte, deferte. fol. 19. qd,
 quidnam. tutamen, leuamen. ellephantorū, Elephantorū. molle,
 mole. et, atq; fol. 20. commenda, committe. uirefce, fiorefce. fol. 22.
 nodos, locos. super, suprâ. fol. 25. excrescit, amplafit. fol. 26. Hæ-
 roas, Heroas. sacratas, amandus. fol. 28. suns, sunt. Cynhia, Cyn-
 thia. Lus Deo.

inceps,

at, veluti.
fol. 7. an-
ne. splen-
ditur,
ille, mul-
fol. 19. qd.
ū, molle,
ce. fol. 22.
26. Hz-
ia, Cyn-

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

I

I-Op

d

46

6

CONGRATVLATIO
IN AVGV-
T

RE.
O-
T
RVM
DEN-
il-



x-rite

colorchecker



MSCCPPCC0613



Tridenti Per Simonem Albesti . Anno M. D C IV.